DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CYNANCHE TRACHEALI.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CYNANCHE TRACHEALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATUS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES PAUL,

Scotus,

IN CLASSE REGIA BRITANNICA, CHIRURGUS:
NECNON COLL. REG. CHIR. LOND. SOC.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXX.

AMICO SUO,

GULIELMO INNES, ARMIGERO,

EX SCRIBIS QUI SIGILLUM REGIUM CUSTODIUNT,

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

ANIMI PIGNUS,

BENEFICII NUNQUAM NON MEMORIS,

SUMMA REVERENTIA,

D. D. Cque.

JOANNES PAUL.

JACOBO STEPHEN, M. D.

&c. &c. &c.

ARTEM HIPPOCRATICAM

ELGINÆ FELICITER EXERCENTI,

HOCCE OPUSCULUM,

QUALECUNQUE SIT,

ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE TRACHEALI.

JOANNE PAUL Auctore.

PAUCI existunt morbi, qui attentionem medici summo jure sibi magis vindicant, quam iste, de quo animus fert pauca disserere; nullus quidem est, ni fallor, cui pueritia obnoxia, magis periculosus magisve subito lethalis. "Cita mors venit, aut victoria læta."

Confitendum est, Cynanchen trachealem non nisi a hodiernis medicis propriis notis descriptam fuisse; sententiis autem eorum, qui veteribus

prorsus ignotam et originem ejus recentiorem esse putant, invite assentire possumus. HIPPOCRATES, in notis Anginæ tractandis, nostrum morbum designare videtur: "Anginæ gravissimæ quidem sunt et celerrime interimunt, quæcunque neque in faucibus, neque in cervice, quicquam conspicuum faciunt, plurimum vero dolorem exhibent et orthopnœam. Hæ nempe, et eodem die, et secundo, et tertio, et quarto strangulant."

Eum quoque, ut nobis videtur, cum Asthmate permiscet CÆLIUS AURELIANUS *.

Cel. FRANCISCUS HOMIUS, tunc temporis in nostra Alma Academia Professor, primus naturam ejus et medendi rationem in lucem edidit; etiamsi concedendum sit, quosdam auctorum recentiorum, antequam ille scripsit, eum obscure depinxisse.

Parum constat inter medicos, quem locum hic morbus in nosologia tenere debet. Quidam enim, totis viribus, eum inflammationem, alii eum esse morbum spasmum habentem, contendunt. Tam-

* Vid. CÆL. AURELIAN. Lib. iii. cap. 1.

etsi non dubitemus, ut species spasmodica aliquando occurrit, quod HOMIUS memoriæ tradidit se quondam vidisse; verum de altera sola, quippe quæ non inflammationem modo habeat et semper spasmo conjuncta, verum quoque multo frequentior sit, agere proponitur.

A CULLENO his verbis apte definitur: "Cynanche (Trachealis) respiratione difficili, inspiratione strepente, voce rauca, tussi clangosa, tumore fere nulla in faucibus apparente, deglutitione parum difficili, et febre synocha."

Cynanche trachealis inter morbos ætati teneræ proprios collocetur. Infantes ad octavum vel decimum ætatis annum, raro autem antequam lacte depulsos, angere solet. Quo juniores sunt, eo obnoxiores, eoque majore discrimine tentantur. In his rebus solummodo ab angina Græcorum differre videtur.

Quanquam, cæteris paribus, hic morbus crebrius, ut putant HOMIUS aliique auctores, prope mare, locaque inferiora, paludosa, apparere videatur, quam in mediterraneis; tamen, ubique terrarum accidere potest, cœlo frigido ac humido, præsertim si calor et frigus crebro vices alternent;

et ubi spirat Eurus aut Aquilo. Quo fit, vere hiemeque plurimi opprimuntur.

SIGNA.

Aggreditur hæc angina plerumque sub forma catarrhi. Æger primum morose se habet; loqui et ludos ætatis suæ exercere piget; cui, vespere adventante, at multo sæpius noctu dum quiescit in amplexibus somni, post quam cœlo humido et frigido expositus, tussis potiusve tussicula fere sicca contingit; paulo post vox raucescit, corpus præter consuetudinem incalescit; pulsus arteriarum augere percipiuntur, cum inquietudine, siti, aliisque febris signis. Si ea ætate sit, ut possit quærentibus dicere, primum de quadam in aspera arteria molestia conqueritur, et haud raro accidit, ut pars externa et anterior paululum tumeat, et tactu doleat. Si proclivitas ad somnum evadit, extemplo expergiscitur, tussi peculiari, rauca, et clangosa; respirationis quoque difficultas, cum sono strepente per inspirationem, quasi viæ, per

quas spiritus evadit, arctarentur. Hoc sibilum inter loquendum, tussiendum, aut vagiendum audiri potest, et, nonnullis sono tubæ aheneæ, aliis galli cantui, confertur; verumenimvero crocitationi avis magis assimile, quam sono vocis humanæ. Longe difficilius id depingere, quam semel auditum recognoscere. Hæc signa in paroxysmis incidunt, et sub initio magna sine febre, quæ tamen celeri pede accedit: facies præter solitum rubet atque tumet; oculi prominentes, plus solito humidi, et lumen refugiunt. Spiritus citatus, spasmodicus, crebro angorem suffocantem minatur, et caput ægrotantis retrorsum agitur.

Hæc conditio respirationis sine causa nota se manifestat, enim fauces inspicienti, nihil, quod tantum mali excitaret, conspicitur; nonnunquam vero aliquæ inflammationis vel tumoris notæ videantur. Nausea et vomitu interdum afficitur ventriculus. Sputum materiæ mucosæ sequitur, semper autem parvum, quod ægri teneri nesciunt vel non volunt expuere, ita vomitione expellitur vel conatibus ad vomendum ex tussi ortis. Interdum vero accidit portiones sanguinis coagulati tussiendo expui. In ægris quibusdam devorandi facultas,

in aliis aliquanto impeditur, vel fieri nequit; sed cibi appetitus multum minuitur. Alvus pertinaciter adstringitur, et sæpe vix solvi potest, usque dum congestio sanguinis in capite submovetur. Urina exalbida; raro autem in quantitate augetur vel minuitur. Pedes manusque sæpe intumescunt; interdum caput, collum et pectus. Supervenit aliquando diarrhœa, cum dolore gravi et spasmo ventris; puer crura et brachia jactat, vehementer vagit: fere semper morbi lethalis est.

Morbo progrediente, exacerbatio est bene notata; respiratio adhuc citatior, difficilior, sibilantior; tussis ingravescit, et notam convulsionis valde fert; vultusque sudore obductus, angorem summum ostendit. Æger inter hos conatus tussiendi, plus minusve muci, aut etiam portiones materiæ tenuis, viscidæ, membranosæ, haud raro rejicit; quod, quandocunque accidit, illi magno levamini esse solet. Remissiones vero, quæ in specie inflammatoria occurrunt, breves, brevissimæ quidem sunt, et quamvis haud infrequentes, parum distincte notantur. Etsi respiratio minus laborat, febris, anxietas, tussis clangosa molesta, minime remissionem patiuntur. Spiritus iterum

magis magisque difficilis et laboriosus evadit; pulsus maxime debilis, et adeo celer ut vix numerandus sit; vultûs adhuc rubor, sed in eo notæ sanguinis circuitus infirmati videantur; pulmones non diutius sanguinem purgant; labia coloris purpurei; conatus vomendi frequentes, insolita anxietas, et jactitatio superveniunt; atque puer "constante mente integrisque sensibus" usque ad extremum vel gradatim malis succumbit, vel subito cum strangulationis in faucibus sensu moritur.

Spatium temporis cynanche tracheali occupatum magnopere variat; modo sub auxilio curantis cito evincitur, et æger ex facili spirat, tussis quiescit, vox naturalis fit, et corpus æqualiter molle et calidum, totumque sudore madescit; modo formam quasi longam induens, per dies decem vel undecim perstat: multum vero gradu inflammationis, spasmi violentia, et pueri viribus, pendet; temporeque etiam quo medicus accesserit. Cum lethalis evadit, id interdum eodem die, sed fere secundo vel tertio, accidit.

CAUSÆ.

DICTIS jam malis, quibus mortales cynanche trachealis afficit, sequitur, ut investigemus quibus ex causis oriatur; non enim credunt, posse eum scire, quommodo morbum curare conveniat, qui, quid faciat, non scrutatur.

PRÆDISPONENTES.—Quod præcipue huic morbo infantes proclives reddit, nobis esse videtur, Professore RICHERANDO judice, parva dimensio comparativa glottidis, laryngis, asperæ arteriæ, et bronchiorum ea ætate; deinde maxima secretio relativa in membrana mucosa illas partes obtegenti; et, contra, defectus excretionis quia non expuent. Rebus sic perstantibus, et cum pro certo habemus, corpora infantum multo magis irritabilia, quam adultorum esse, non difficile intellectu ut quodcunque plus solito humorum impetui ad asperam arteriam ejusque ramulos faveat, ad hunc morbum plurimum conferat. Satis con-

stat, membranæ mucosæ partes jam dictas obtegentis conditionem morbidam vel relaxatam, causis excitantibus admotis, proclivitatem ad incitationem maxime augere; hinc ratio est, in hisce partibus imbecillitatem quomodo inductam, causam prædisponentem considerare*. Catarrhi longi e variola, rubeola, pertussi, et scarlatina, causæ ejus valentissimæ prædisponentes fiunt. Qui semel morbo affecti, ad reditum miro in modo proclives videntur. Infantes floridi, plenoque corpore præditi, pro ætate vividi, alacres, ut videtur, etiam maxime obnoxii sunt.

Excitantes.—Sunt quæ proclivibus admotæ morbum inducunt, et, ut solet nudare colla, pectora, et brachia infantum in ætate adhuc tenera; inter has nulla crebrius occurrit, plusve valet, quam frigoris humorisque applicatio subita. Frigus cuti admotum ejus halitum supprimit, et sanguis a superficie corporis in arterias membranæ mucosæ, præsertim autem in eas fistulæ animæ, avertitur, in iisque inflammationem

* Cheyne's Pathology of the Larynx.

excitat: sed quomodo nunc catarrhum solum, nunc cynanchen trachealem gignit, haud ita facile intelligere est.

DIAGNOSIS.

Quamvis hic morbus multa habet sibi propria, quibus facile dignoscatur, tamen quamplurima sunt aliis morbis communia. Confundi potest cum rubeola, cynanche maligna, quarum sæpe quidem sequela est. Asthma spasmodicum, quod Millar et Rush optime descripserunt, sine dubio nostro morbo simillimum est, cujus esse videretur species tantum, quamvis in quibusdam ejus signis maxime distet. Hoc magna vi nocte subito corripit, et quaque sexta, duodecima, vigesima hora, paroxysmis redit. Nulla adest febris, tussis neque rauca, neque clangosa: revera mutatur vox, sed cava, et gravis. Æger vix respirat, nisi corpore erecto et antrorsum capite. Dum in morbo, de quo agimus, febris adest; eadem est respiratio quocunque in modo; et imperfectas tantum percipimus remissiones, quæ nihil

fixum habent; caput rejicitur quasi collum elongare. Citius quoque progreditur, et plus periculi continet quam spasmodicum asthma. Catarrhus a cynanche tracheali non dignosci non potest. Illi enim neque est tracheæ dolor, neque vox rauca, quæ cum aliis signis hanc constituunt. Sub initio tantum confundi potest.

Pertussis quodammodo morbum nostrum refert, sed quibus tamen in rebus hi morbi distent, satis patet. Vox mutata, sonora, gravis, quæ illi adest, tantum in tussiendi paroxysmo, maxime se habet. In illa præcipue ab initio ægri nihil rejiciunt, nisi mucosam materiam, tenuem, albidam, rarius crassam et tenacem. Adest quoque sensus pungens apud præcordia, sed in morbo, quem prosequimur, sensus constrictionis, doloris et intumescentiæ circa tracheam. Illa fere semper epidemia sævit, sed rarius, si unquam, cynanchen trachealem ita sævientem conspicimus.

Cum Cynanche Laryngea, Boerhaavii Inflammatoria Angina, insolertes confundere possunt. Illa fauces, laryngem, et superiorem tracheæ partem adoritur. Maxime inflammantur tonsillæ, et tumefactæ; contra vero in cynanche

tracheali inflammationis sedes tracheæ inest, et ramulis bronchiorum quoque. Illa adultos præcipue invadit, et quidam haud parvi nominis in nostra arte perierunt: dum hæc infantes fere semper corripit.

PROGNOSIS.

Semper natura hujus morbi periculosa, et imprimis cum progreditur, ita loqui, in silentio, et periculum tantum ostendit, ubi mors certa signa dederat. Periculosum est etiam, quod infantes tenera ætate adoritur, cum non sermone uti valent, et dicere quid doleat, quibusque malis urgeantur.

Si morbus duos tresve dies prius perstiterit, quam auxilium petatur; si magna spirandi difficultas; si pulsus fit debilis et frequens; atque tussis sicca, crebra, et clangosa; si facies sanguine suffusa et rubra fit, malum est. Mali etiam morbi testimonium est vehementer et crebro spirare, anxietate et inquietudine molestissima premi: jactare crura et brachia. Diarrhœa cum spasmo

ventris, cujus mentio supra facta est, fere semper mortem denunciat. Hic morbus multo frequentius et citius lethalis, cum ramulos extremos bronchiorum occupat, quam quum sedem in trachea tenet. Illa quoque mortis indicia sunt: ictus arteriarum parvi, debiles, abnormes, et valde frequentes; facies pallida et tumida; spiritus laboriosus magis magisque urgens; tussis adhuc clangosa; sputum nullum vel parcum; membra inferiora aqua intumescentia; sensus suffocationis et vocis mutationis cessatio subita *.

Contra, exitum futurum esse faustum prædicere licet; si sub initio medicus accessit, febris lenis, respiratio non multum mutata et parum stridula; si pulsus, quamvis frequens, validus tamen atque firmus; si vox, nisi dum vagit aut tussit æger, parum mutata. Inter bona indicia est, quando tussis validior et minus sicca, cum sono qui pulmones non laborare ostendit.

---

* Double, Traité du Croup.

PATHOLOGIA.

Ubi inflammatur tracheæ membrana interna, frequenter subflavæ materiæ lamina obducitur. Hæc internæ parti haud firmiter adhæret, sed diduci facile potest. Ex laryngis cavitate tendet in parvos tracheæ ramulos, qui in substantiam pulmonum distribuuntur. Haud parva est muci copia in trachea ejusque ramulis, simul atque pure misti. Nonnunquam hæc membrana fibrosam induit speciem, tenax vesicæ instar. Ita apparet hæc exudatio inflammatoria, ubi adest; sed sæpe deest, et mors, illâ absenti, quam præsenti, tam frequenter appropinquat.

Ideoque lethalis hujus morbi eventus ex hac membrana formata, quantum plerumque creditum est, haud tantum pendet. Sed vasa semper quæ sanguinem vehunt in cerebri basi turgescunt, ejusque membranæ densantur, cum effusione; et eadem medullam spinalem descendere interdum reperiuntur, et quibusdam in exemplis cerebri

ventriculis inest effusio. Constat ex sanguinis congestione in cerebro perquam tardam alvum præcipue pendere; quippe quod ipsum in statu torpido est ex distentis ejus vasis. Hoc enim probari videtur facili purgantium operatione post sanguinis detractionem e capite; dum vix, aut ne vix quidem, quod nisi factum est, potentissimum illorum, ullum induceret effectum.

CURATIO.

Superest jam nunc, ut medendi ratio reddatur, quæ adversus hunc morbum valere plurimum solet; et in hæc consilia, resolvi potest, primo, Febrem et inflammationem asperæ arteriæ quamprimum submovere, ne congestio sanguinis in capite vel spuria membrana formetur: Secundo, Membranæ, si mora interposita aut morbi vehementia jam formata sit, sputum movere; dein ægri vires confirmare. Breviter de his consiliis simul dicere conabimur. In acutis morbis, Celsus bene observat, " breve spatium est, intra quod,

si quod auxilium non profuit, æger extinguitur." In nostro præcipue verum est. Prima curatio, et maxime valens, est sanguinis missio; vehementiæ autem signorum, ætati, viribusque ægri aptata. Cum morbus gravis, puer robustus, plenus est, sanguis primo vena jugulari externa vel brachio, si fieri potest, semper detrahendus est; deinde, si usus postulat, detractio ejus specialis adhibenda erit. Quin et secundum pathologiam jamjam præfatam, si facta fuerit per hirudines atlanti admotas, multo præstat. Tracheâ pressu dolenti, ibi quoque admotæ sint. Si febris perstat, et respiratio adhuc strepens, hirudines iterum iterumque applicentur; et etiam detractio altera generalis, si vires sinant, admittatur. Ubi tenera pueritia non permittit ut sanguis e vena incisa detrahatur, hirudinum usui confidere, necesse est.

Vomitio omnia medendi consilia bene conficit, aut in actione aucta vasorum fistulæ animæ minuenda, eoque ejus consequentias præcavendo, præcipue formationem membranæ adventitiæ; aut expectorationem magis facilem reddendo, et portionum membranæ sputum, cum instare cœpit. Morbi autem curatio, ut quidam auctores putant,

non rejectione illius membranæ nititur; sed solum febris discessu et potissime notarum suffocationis. Verum enimvero plerique ægrorum, qui sanati fuere, parum vel nihil expuerunt. Vomitus profecto vim arterialem minuit, " sputum multum promovet, sicubi pulmo vel suo gravatus fuerit muco, vel sanguine, sero, pure, aqua; et sudorem quoque, et liberam sanguinis ad corporis superficiem distributionem promovet, partim fortasse magno nixu qui vomitum comitatur, magis tamen, ut videtur, mirabili consensu qui inter cutem et ventriculum intercedit *." Hinc ad inflammationem partium internarum degerandam multum valet. Tartras antimonii, ita administratum, ut vomitionem plenam ciet, his rebus optime respondet; dein cum calomelano conjunctum, tantulis portionibus, quantulæ, subinde repetitæ, nauseam aliquamdiu perpetuent, et, vires ejus catharticas, sudatrices, quoque moveant. Præterea, calomelas, procul dubio, consilio ut alvum purget adhibitum, commodissime agit, non solum cum tartrate antimonii, sed etiam cum

* Conspect. Med. Theor.

scammonio vel jalapa adjiciatur; et in dosibus puero propriis omni quaque hora exhibitum, interposito, omni tertia, oleo ricini, donec alvus copiose solvitur. In hoc æque ac in omnibus aliis morbis, ubi summam cutem relaxari, evocarique sudorem, et conditionem corporis mutari expedit, balneum calidum utile erit; fereque omni tertia hora adhibeatur.

Si febris non demittit, neque tussis quiescit; plus mali est, et inter initia protinus occurrere maxime necessarium, ideoque adhuc pluribus auxiliis opus est.

Emplastra meloës vesicatorii, vasis jam probe depletis, parti dolenti quam proxime admota, magno ex usu invenientur: utiliora his tamen cataplasmata sinapeos, quoniam effectus citius perducuntur. Præter hæc, vapores ex aceto et aqua calida cum spiritu inhalati conveniunt, membranam tracheæ mucosam ejusque ramulorum fovendo, molliendo, spasmum solvendo, solitam muci secretionem promovent, ejus quoque exscreationem faciliorem reddunt. Antispasmodica varia, sicuti opium, moschus, polygala senega, maxime assafœtida, in usum venerunt ut

auxilia, et quibusdam multum laudata sunt. Quorum adversus usum nihil dicendum erit, utpote utilia esse possunt; sin autem remedia jam recensita inutilia, illa quidem raro prosunt.

Scire oportet, ut, morbo medicinæ cessante, debilitas superveniat; eique occurrere vires naturæ medicatrices adjuvando nunc medici est. Equidem vero, ubi medicina nil profuit, et morbus cursum tenet cum debilitate ingravescenti, adhuc vires vitæ labentes fortiter sustinere decet, ne spes ægro infelici omnino deficiat. Cibis vero opus est, qui facile concoquuntur, maximeque alunt, modo cum vino aliisve cardiacis, modo alternatim adhibitis. Cum magna materiæ muco-purulentæ copia in trachea bronchiisque colligitur, emeticum rursus præscriptum sit, quia vires corporis excitare possit, atque sic exudatio inflammatoria ejiciatur.

FINIS.